

liberationis, qua liberatum est a pressura flamme templum hoc, in quo invocamus nomen Domini, taliter ut a multis visa sit presentia divine protectionis, videlicet quasi species hominis pulcherrimi desuper incumbentis et circumfluentium flammaram impetum manu obiecta
 5 repellentis ¹⁾). Cum hec diligentius scriptis enarravero, hec mihi merces a Domino speranda ^{c)}) sit, ut non me arguat ingratitudinis, quemadmodum redarguit illos, de quibus ait: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* ²⁾). Similiter namque et nos redargui conveniret, nisi et cor et os nostrum presentarem in gratiarum actione verbi gratia,
 10 ut diceret ipse: Nonne istis manifesta Dei virtute de tanto incendio reservatum est ^{d)}) sanctum et vivificum sacramentum, quo sine dubio emundatur lepra peccatorum, et gratiarum actiones ubi sunt? Res igitur taliter acta est.

2 Anno presenti, qui est ab incarnatione Domini millesimus centesimus
 15 vicesimus octavus, octavo kalendas septembris prima vigilia noctis subito exortus ignis mediam vici plateam corripuit, qui vento agente concitatus in brevi ultra modum invaluit. Erat autem siccitas nimia nimiumque diutina et undique circa domos horrea collectis nuperrime et comportatis frugibus copiose referta. Repente ergo conflatum sine
 20 mora crevit incendium, quo non solum Rhenus liquidus resplenduit et vicina Colonia reluxit, verum etiam regio hec omnis et tota fere provincia lucem undique tristem et horribilem suscepit. Denique per stadia ferme ducenta et eo amplius ignis paruit ^{a)}), remque ^{b)}) adhuc ignorantibus celum ardere visum est. Quid animi vobis pariter ac mihi
 25 tunc erat, fratres karissimi ^{c)}), cum per turres et interturria ^{d)}) videretis ^{e)}) appropinquantes atque imminentes insanos exercitus flammaram, assilientes atque irruentes phalanges grandium scintillarum! Turres enim circumstantes odiosas nobis mira velocitate victrix ^{f)}) flamma comprehendit et nostras quoque domos sive officinas usque ad ipsum claustrum
 30 cenobialis aditum uno impetu pervolavit totumque istud castellum, mirum dictu, quasi unum effecit caminum ^{g)}), ita ut de proxima civitate prospectantibus milibus ^{g)}) hominum videretur id, quod verum erat, totum hoc monasterium flammis esse circumdatum atque coopertum.

^{c)}) speranda *fehlt* *AJM* ^{d)}) et *JM*

2 ^{a)}) aruit *M* ^{b)}) Rhenique *M*; renique, *corr.* remque *A* ^{c)}) charissimi *AM*, car. *J* ^{d)}) interturria *M* ^{e)}) videritis *M* ^{f)}) victris *M* ^{g)}) millibus *M*

¹⁾) *S. u. c. 4 und 6* ²⁾) *Luc. 17, 17* ³⁾) *Vgl. Dan. 3, 17. 23; s. u. c. 5 und 6*